

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Lvdovici De Ponte, Societatis Iesv, Meditationvm De
Praecipvis Fidei Nostrae Mysteriis**

Vitae Ac Passionis D. N. Iesv Christi; B.V. Mariae, & aliquorum Sanctorum

Qvae Historiam Complectitur vniuersæ Paßionis Dominicæ

Puente, Luis de la

Coloniae, 1614

Med. 12. De stupenda vini in Christi sanguinem conuersione; & ingentibus
huius sanguinis thesauris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54653](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-54653)

MEDITATIO XII.

DE CONVERSIONE VINI
 in Sanguinem Christi, & thesau-
 ris qui in ea la-
 tent.

PUNCTVM I.

Post consecrationem &
 communionem sacri panis,
 accepit CHRISTVS Do-
 minus noster calicem vini
 in manibus suis , dicens : a
*Hic est calix b sanguinis mei
 noui Testamenti , qui pro a
 vobis, & pro b multis effundetur in remissionem
 peccatorum . Quorum verborum virtute, vi-
 num fuit conuersum in pretiosum ipsius San-
 guinem.*

a Luc. 22. 20.
 b Matt. 26.
 28.
 b Marc. 14.
 24.
 S Thom 3.
 p. q 87. a. 3.

CIRCA quod, est primū consideranda
 infinita Christi Domini nostri charitas , libe-
 ralitas , & omnipotentia , quæ in eo resplen-
 duit, quod totum suum sanguinem , nec unica
 excepta gutta, in calice pro nutrimento & de-
 liciis nostris posuerit . Satis proculdubio
 fuisset, ad nostram sanctificationē, si tanta san-
 guinis quantitas, in calice fuisset, quanta erat
 meri vini, aut certe unica tantum gutta illius

L 4

san-

I.

sanguinis sufficit: non tamen hoc voluit; sed
ut totus venarum eius sanguis, quem tunc ha-
bebat, & nunc habet in capite, corde, brachijs,
& reliquo corpore, in eo calice deponeretur:
quem totum, nihil sibi eius reseruans, libera-
lissime tradidit; hoc indicio, amorem suum &
liberalitatem nobis manifestans: eodemque
facto me inuitans, ut & ego meum totum, si
ad ipsius obsequium id necesse fuerit, illi of-
feram.

II.

V E R V M vterius progreditur eius cha-
ritas & liberalitas: quia non solum sanguinem
tradit, sed etiam ipsum calicem pretiosissimum, in quo ille continetur: Atque si quis
Princeps inuitaret alium, ad bibendum ex-
cellens vinum ex aureo poculo, preciosissimo,
plurimis gemmis ornato, ac diceret
bibe vinum, & retine tibi poculum: ita
C H R I S T V S Dominus noster, dat no-
bis suum sanguinem pretiosum, & simul va-
in quo ille continetur, quae sunt eius ven-
caro, & corpus Sanctissimum, cum anima &
Divinitate sua, ut totus ipse sit potus & cibus
noster. O charitas immensa! o prodigali-
tas sanctissima! quomodo non tibi dabo
Domine quidquid habeo, siquidem tu mihi
admirando adeo modo das quidquid ha-
bes.

III.

M A G N V M etiam mysterium habet illud
verbum **M B I**, mei in qua, non alieni, sed pre-
prij: In quo nobis aperit suam charitatē, multo
aliter, quam Reges terræ, qui bibunt sangu-
inem

nem libditorum suorum; & ex eo sunt postea
liberales, & illo expenso prouincias suas pro-
pugnant, & expugnant alienas: at Christus
Dominus noster, pretiosum suum sanguinem
suis subditis bibendum propinat: ex illo libe-
ralis est & profusus; eo conquirit ipse thesauros
& regna pro ipsis. O Rex supreme, non
Tyranno, sed Pater; & Pater amantissime, qui
sanguine venarum tuarum vitam & nutrimentum
das filiis tuis, & subditis, ut omnes simus
de tuo sanguine Regio, genus electum, regale
sacerdotium, gens sancta. O si totus populus
Christianus agnosceret genus suum, & sanguinem,
& de eo gloriaretur, bibens sanctos &
generosos tuos mores.

1. Pet. 2. 9.

PUNCTVM II.

CONSIDERANDVM deinde, quomodo
Christus Dominus noster, hunc sanguini
sui calicem appellari nouum testa-
mentum. PRIMVM vt declararet excellentiam
testamenti noui supra vetus: nam hoc innite-
batur sanguini animalium quæ Christi sanguinem
præsignabat: at nouum innititur sanguini
ipsius Christi: in quo est fundatum, stabili-
tum, & confirmatum. Et ita perpendam, Chri-
stum Dominum nostrum, hac nocte suæ passi-
onis testamentum condidisse cum plurimis
legatis, & promissionibus infiniti valoris.
completebant enim omnes thesauros gra-
tia & gloria, quos Deus habet, ut suis electis

L 5

distri-

II.

distribuat. In hoc testamento promittit nobis veniam peccatorum, etiam pœnarum cœtarum quas illis sumus promeritis; promittit nobis etiam gratiam & adoptionem filiorum Dei, cum charitate, & virtutibus, a donis omnibus Spiritus sancti; & hereditatem cœlestem, quæ est æterna beatitudo; & exauditurum se nostras orationes, nostrisque adversaribus ad futurum, & auxilium in nostris actionibus præbiturum. Omnia harum promissionum & legatorū sanguis hic est firmamentum, pignus, arrha, scriptura & instrumentum priuilegij, quo assecuturi sumus, q[uod] Christus nobis comparauit, quod promisit, & quod testamento nobis legavit: ideoque quod hoc priuilegium apud nos habeamus magnorum affectuum amoris, fiducie, lætitiae, & securitatis nostræ salutis, occasionem & motuum nobis adferre debet. Et quādo sacrum facimus, vel audimus, aut communicamus, debemus hunc sanguinem Patri æterno offerre, maximâ fiduciâ hæc omnia obtainendi, dicentes: Ó Pater æterne, pretiosissimum huius calicis sanguinem tibi offero, tanquam instrumentum & priuilegium, & signum testamenti filii tui, quo promisit mihi, te darurum, quod petrem, & siquidem tu es testamentarius, imple in me ipsius testamentum, mihi largiens quod peto.

III.

EIAM hoc ipso testamento, reliquit nobis Christus Dominus magna monita, & consilia, nonum illu[m] mandatum amoris inter nos

mu

Futura gloria nobis
pignus da-
tum.

mutui, obseruantiam præceptum ipsius, & quidquid pertinet ad humilitatem, patientiam, & perfectionem Christianam. Adhæc omnia valet sanguis, qui in hoc calice continetur, quo vires obtainemus ad ea implendas; omne studium ad id adhibentes, & strenuos semper nos, in eius seruitio præbentes.

PVNC TVM III.

CONSIDERANDVM tertiod, quod Christus Dominus noster de SANGVINE dixit Apostolis: *qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

PRIMVM dicit: *qui pro vobis effundetur, ut eos ad compassionem, & dolorem, ad amorem & gratitudinem permoveat: atque si illis dicaret: attendite, quoc eundem sanguinem vobis trado, quem gravissimis doloribus sum effusurus, non me causa, sed vestri, & pro vestra salute: compatimini mihi, qui eum effundo; & me redamate, qui adeo vos diligo.* Et ut dixit verbum illud: *pro vobis*, quia cum multis loquebatur, potuisset singulis dicere, hie est sanguis; qui pro te effundetur; ideoque possum imaginari, idem mihi dici. O amantissime Redemptor, qui sanguinem tuum tanto dolore pro me effusisti, & illum mihi tanto amore in hoc tribuis sacramento,

da mi-

L

da mihi gratiam, ut doloribus tuis compatiat
& amori tuo magnis obsequiis correspon-
deam.

II.

DE IN D E dicit: *qui pro multis effundetur,*
hoc est pro omnibus hominibus, qui sunt in
mundo quantum ad sufficientiam; & pro mul-
tis, quantum ad efficacitatem, & fructum,
quem ex eo percipient. Et in hoc calice pon-
tur pro omnibus iis, pro quibus fuit effusus.
Facitque huius rei mentionem, ut cognoscam
eius liberalitatem, siquidem nullus est
homo in mundo, etiam vilissimus, pro quo
hunc sanguinem non effuderit, & quem ipse
non inuitet ad eius fructum, etiam si manci-
pium sit, & fax terræ. O Saluator liberalis-
sime, siquidem una gutta tui sanguinis suffi-
cit pro toto mundo, plurimis quoq[ue] eius va-
lorem applica, ut plurimi eius fructu gaude-
ant, Amen.

III.

AD DIDIT denique: effundetur in remissio
nem peccatorum absque ullo limite, numero,
aut graviate; quia nullus est tantus numerus
peccatorum, nec peccatum adeo graue &
horrendum, quod non possit hoc sanguine de-
lieri, nam etiam peccatum satellitum & car-
nificum, qui diabolica crudelitate illum ef-
fuderunt, eodem sanguine deleri potuit: nam
etiam pro illis fuit effusus, & si voluissent, il-
li facile veniam obtinuerent. **S**anguis Agni
est vs præciosissime, cuius virtute omnes po-
sumus stolas nostras lauare, & dealbare ab o-
mnibus peccatorum maculis, laua me & de-

Apoc. 7.14.

alba

alba, purga & exorna animam meam, omnes
ab ea culpæ sceditates lauans, & gratiæ diui-
næ virtutibus eam exornans.

IL LVD quoque verbum est perpendendum
effundetur: quo significatur non guttatum ex
corpo suo sanguinem exiturum, nec parcè,
sensim per distillationem; sed magna copia
eum effusurum totum, & per omnes sui corpo-
ris partes, ut apparebit inferius.

QVARTI puncti materia esse potest, quo-
modo Christus Dominus, & eius Apostoli ex
calice illo biberint: sed eadem hic perpendi
possunt, quæ superius diximus de pane.

MEDITATIO XIII.

DE SACRAMENTALIBVS PA-
ni & vini speciebus: & quideis-
dem nobis propona-
tur.

Hac meditatione, & proxi-
ma sequenti vti licebit, quā-
do sacre Missæ sacrificio in-
tersumus accepto aliquo ea-
rum punto, ut aliquos de-
uetionis actus exerceamus,
circa sacrosanctum illud mysterium.

PVN-